



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Præpositus Generalis creatur Jgnatius. Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

ratione, intra finem anni vertentis, cum ceterorum, tum præcipue Guidicionij ita immutata voluntas est, vt cum de multitudine religionum cohibenda idem quod antea omnino sentiret, huic tamen refragari se vltra negaret posse, diuino videlicet monitu, & occulta spiritus operatione vehementer instinctus. Ita, qui diu valde anxios habuerat Patres, eorumq. spem varijs frustrationibus propemodum extinxerat, idem vna cum ceteris collegis repente placatus ac fauens, rem vltro suscepit, commendauitq. Pontifici, Tibure denuo commoranti; qui libentissimo animo & Societatem ipsam, & Societati inditum nomen rite sancteque approbavit V. Non. Octobris, anno M. D. XL. idque testatum voluit esse publicis litteris eodem die locoque datis; cum eo tamē, vt in vniuersum socij ne plures sexaginta numerarentur. Ea videlicet fuit nouellæ Societatis quædam quasi probatio. si quidem triennio post, cum varijs locis atque prouincijs Deo adspirante constaret egregius operæ fructus; ab eodem Pontifice limes ille omnino sublatus est, liberumque Ignatio & successoribus relictum, cui libet petenti Societatem dare. quod item apparet diplomate dato pridie Idus Martias anno M. D. XLIII.

Præpositus Generalis creatur Ignatius.

CAP. XIII.

IGITUR post multas difficultates approbata denique Societate; gratiæ primum (vt equū erat) actæ superis, quorum benignitate res bene feliciterque vertisset: deinde, quoniã in dies à Pontifice missio Patribus imminabat; è suo corpore Præpositum Generalem (sic enim qui

qui cunctis præfesset appellare placuerat) primo quoque tempore deligere visum est. Societatis autem status per id tempus erat eiusmodi. Fraciscus Xaverius, & Simon Rodericus in Lusitaniã erant profecti. Petrum Fabrum Cæsaris legatus Ortizius ad Vormatiensem conuentum Pontificis permissu in Germaniã adduxerat. Iacobus Laines Parmæ, Claudius Iaius Brixie, Senis Paschasius agebant. In Brutios Nicolaus Bobadilla discesserat. Cũ Ignatio Romæ duo dumtaxat è Patribus versabantur, Salmeron, & Codurius. tyrones vero, qui nomen dederat Societati, partim apud Ignatium erant, partim studiorum causa ab eodem Parisios missi, necessaria ad bellum spirituale arma enixe parabant. quidam etiam ad res domesticas componendas in Hispaniam profecti; & concionibus iam tum, & colloquijs, ingenti hominum approbatione, Societatis nomen longe lateq. vulgauerant. Hoc Societatis statu, cũ Præpositi eligendi tempus adesset, Patres qui quidẽ in Italia erant, per litteras moniti, quod rei Christianæ cõmodo facere possent, creandi Præpositi causa ad Urbem accederent; sub initium Quadragesimę anni M. D. XLI. cõuenere omnes, vno dempto Babadilla, quẽ in oppido Bisiniano tum maxime res gerentẽ, abduci rursus ab opere Pontifex noluit. Is, & ceteri qui longius aberant, suum quisque in schedula suffragium rite obsignatum, partim in discessu reliquerant Romę, partim deinde misere inclusum epistolis. Ac primum tridui supplicatio indicta, vetitumq. inter ipsos de Præpositi electione colloquium est. deinde coniectis in urnam schedulis, triduum insuper continuatę preces: ac septimo denique die legitime extractis recitatisq. suffragijs, Præpositus declaratur Ignatius,

nemine præter ipsum Ignatium discrepante: namq. is consulto, ne vnum nominatim ex omnibus diligendo, ceteros quodammodo notasse videretur; in schedula scripserat, se ad eum accedere, in quem plurima suffragia conuenirent, vno se dumtaxat excepto. Igitur explorata iam numinis voluntate, ad Ignatium venerabundi accurrunt Patres. at ille, parendi nimirum longe quàm imperandi cupidior, se uero vultu iubet eos absistere, negatq. se munus viribus impar suis vlla ratione subiturum: multaq. serio disputat, cur alium potius quemlibet sibi sufficere debeant. Sed videlicet quibus rebus putabat voluntates Patrum alio posse transferri; eæ ipsæ vel maxime studia eorum incendebant. nihil enim ad conciliandos homines æque valet, atq. animi moderatio atq. submissio. quo factum est, vt nihil eorū quæ ad munus detrectandum Ignatius afferebat, aliquandiu non modo ad animum admitterent, sed ne ad aures quidem. Sed post multam denique altercationem ægre Ignatius tenuit, vt amplius in tertium diem obsecratione protracta, rursus in suffragium iretur. quo die cum idem prorsus omnium consensus exstaret, neq. iam locus tergiuersationi videretur esse; tum Ignatius: Quandoquidem vos in me potissimum eligendo perstatis, inquit, ego autem, meæ conscius infirmitatis, vestro iudicio salua religione assentiri nequeo; reliquum est, vt huiusce cōtrouersie arbitrum deligamus eum qui mihi à confessionibus est; quòque, vt scitis, vt or diuinæ voluntatis interprete. (is erat ante conditam Societatem frater quidam Theodosius ex ordine Minorum, cœnobij quod ad sancti Petri in monte aureo, qui fuit olim Ianiculus, appellatur.) Quod, ne frustra diutius tenderent

tenderent Patres, eo facilius concessere, quòd minime dubitabant, quin ipsorum suffragij prærogatiuā ille quoque sua sententia comprobaturus esset. neque eos fefellit opinio. Cum enim rem totam ad eū detulisset Ignatius, imbecillitatem suam corporis animiq. commemorans, dein etiam atq. etiam obtestans, vt se tanto onere leuatum vellet; ille, cognita re, tantum abfuit vt precibus Ignatij cederet, vt etiam obiurgauerit hominem, quòd, tam explorata diuina voluntate, Spiritui sancto diutius restitisset: & simul, ne dissimulationi esset locus, vltro adiit Patres, ac de suo respōso certiores fecit. Quibus rebus denique victus Ignatius, omni spe in vno Deo rei bene gerendæ reposita, dedit manus, diemq. constituit x. Kal. Maij, quo die ad auxilium diuinum implorandum, præcipua septem Vrbsis templa simul omnes obirent, & in diui Pauli potissimum (quoniā eius maxime Apostoli vestigia sequerentur) solemniprofessione suæ religionis vota susciperent. Vt igitur ea dies adfuit, in eo templo ad sacellum beatæ Virginis, vbi tum Eucharistia custodiebatur, quod sacellum ad imos gradus est aræ maximæ, sub ipsam cælestis panis communionem, ipse primum qui sacrificabat Ignatius, tum ceteri sua quisque vota clara voce de scripto ex Apostolici diplomatis formula nuncuparunt. deinde sumpto ex Ignatij manibus corpore Domini, post gratiarum actionem, sacratissima eius ædis loca religiose cum adijissent, circa aræ maximam, sub qua Petri & Pauli Apostolorum ossa condita sunt, cuncti cōsistunt, flentesq. præ gaudio, & suauissime amplexantes inter se, gratulantur denuo superis, quòd cœptis adfuerint, suamq. Societatem arctiori vinculo colligarint: deinde reli-

qua templa pari lætitia ac pietate circumeunt. Quibus rebus ingenti omnium consensu & cōspiracione peractis, magistratum Ignatius iniit. ac primum omnium, ad constituendam domesticam disciplinā adiecit animū, quæ digna tali instituto, digna Christianæ philosophiæ professoribus haberetur. Itaque ad ceteros prouocandos, atq. ad iacienda in tyronū animis veræ humilitatis fundamenta, in sordidis culinæ ministerijs aliquandiu versatus est ipse, tantum alacritate ac diligētia, quasi tum primum ad suā ipsius emendationem, vitæ spiritualis curriculum esset ingressus. neq. tamen interea grauioribus negotijs deerat, temporibus ita distributis, vt quātum liceret, vtriq. muneri satisfaceret. accedebat ad hæc, summus paupertatis amor, summa in victu cultuq. frugalitas; præterea in singulorum officijs exigendis, erratisque puniendis admirabili mista lenitate seueritas: in subleuandis vero omnium & animi & corporis necessitatibus, cura & vigilantia plusquam paterna. cumq. ad ea caritatis officia, prout res postulabat, opportunas insuper adhortationes & publice & priuatim adhiberet; haud sane difficile fuit, in animos, recentissimo tum Societatis spirita, sponte incensos officio ac religione, eos mores eaque viuendi rationem inducere; vt (si cælestibus terrena comparare fas est) intra illa tecta parietesque, angelorum in humanis corporibus quidam conuietus videretur esse. nullæ tum querimoniæ, nullæ detractiones, nulli susurri quibus incommodæ suspiciones excitantur, & disiunguntur animi; sed acerrimū sui cuiusq. deprimendi submittēdiq. certamen; in superiorum iussis excipiēdis exsequendisq. alacritas ingens; mirus in cōmunicando interpretandoq. candor

candor atq. simplicitas; oculorum ac sensuum intē-
ta custodia; studium precatōnis ac solidæ virtutis
ardens; quæque ex his rebus necessario prouenit, ad-
mirabilis in magna nationum, ætatum, ingeniorum
varietate concordia. Itaq. coniectis, vt fit, omnium
oculis in ordinem nouum; breui non ad nostros tã-
tum, verum ad exteros etiam, salutaris exempli ma-
nare vtilitas cœpit. Adolescens quidam, egregijs
naturæ adiumentis, è Septentrionali plaga Romã
aduenerat, nō modo Lutheriana tabe infectus ipse,
verum etiam mire cupidus eiusdem longe lateque
vulgandæ. Is cum ex occasione sese in hominũ cœ-
tus infereret, verbisque venenatis clericorum vitam
ac mores summam in inuidiam vocaret primum,
deinde abductis à sacerdotum reuerentia mentibus
praua dogmata sensim instillare quotidie pergeret;
patefacta re, iussu magistratum cōprehenditur. qui
cum & ipsi per se, & sacre Theologiæ magistris ad-
hibitis, illum ab opinionum insania reuocare frustra
conati essent; ne quid intentatum relinquerent, æta-
tem & ingenium miserati, prius quàm in eum lege-
geretur, accersito Ignatio rem totã exponunt. quo-
niam ipsorum neq. adhortationes, neq. minæ pro-
ficient; habeat illum aliquandiu apud se, videat etiã
atq. etiam, vt errantem ouiculã ad Ecclesiæ caulas a-
liqua ratione traducat. Ille clementer acceptum he-
reticum domum adducit. neq. vero sapiētes iudices
frustrata spes est. siquidem adolescēs ab Ignatio so-
cijsq. amicissime habitus; eorũ dictis, factis, institu-
tis accurate obseruãdis paulatim affici atq. immuta-
ri Dei beneficio est cœptus; & quã antea respuerat
medicinã, libentius in dies accipere: ac demũ perse-
ueratibus Patrũ officijs, & diligentissima curatione,

eo processit res, ut euulsis letaliū dogmatum fibris priorem pertinaciam gemebundus agnosceret: nec ante à salutarī incepto destitit, quā voluntaria abiuratione detestatus errores, ingenti bonorum tū admiratione, tum gaudio, cū Ecclesia sancta in gratiam redijt. Is deinde, quæretibus viris grauibus cur qui antea tot machinis oppugnatus peruicacissime restitisset, Ignatij deniq. & Patrum hospitio & consuetudine vinci se passus esset; sine cunctatione respondit, se illorum non tam disputationibus argumentisq. (licet in eo quoque genere valerent plurimū) quā spectatę sanctitati virtutiq. cessisse: quod ita apud se prope necessario statuisset, à tam incorruptis moribus, à tāta pace atq. cōcordia, à tam bonis operibus rectā in Deum fidē abesse nullo modo posse. Quæ res documento esse potest hominibus nostris; licet ad conuertendas ad Christum animas ingenij ac doctrinæ præsidia requirantur, tamen conspecta vitæ morumque innocentia plus multo quā litteris aut cōcertationibus profici. Alius quidam filius familias, desertis liberalibus studijs, ac repudiata omni disciplina, prorsus indomitus & effrænis, cum neq. à parentibus iam, neq. à magistris regi vllō modo posset; Ignatio traditur. cuius lenitate, itemq. ceterorum Patrū præceptis atq. institutis accuratissime excultus, posita paulatim ferocia petulantiaque, cunctis admirantibus ita pudicos modestosq. induit mores, ut vix minimum in illo vitium reprehēderes. Multi præterea omnium ætatum atq. ordinum, quos præceptis in omnem licentiam natura cupiditasq. corruperat, Ignatij consuetudine exemplisq. incitati, collegere sese, atque ad bonam frugem Deo adiuuante rediere.

Genera-